



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.7. Cur è Virgine nasei voluerit Deus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

dus, sicut homines Deum, à quo amantur,
 detestantur. Quia autem etiam vidit ho-
 mines Inferni pœnas promerituros; ita eos
 dilexit, vt vel sic vellet eis remedium suppe-
 ditare. Remedium in quo vnico infinita eius
 bonitas abundè demonstratur. Quæ enim
 nisi infinita clementia & charitas pro tam
 ingrato & inimico homine redimendo da-
 ret id quod habet pretiosissimum, charissi-
 mum, nimirum Filium suum vnigenitum,
 vnum ac eundem Deum secum, in quo *in. Col. 2. 9.*
habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter?
 Dedit autem non quomodocumque, sed
 fecit eum passibilem, vt pro nobis famere,
 sitire, frigere, a lapis, flagellisq; cædi, dam-
 nari, occidi posset, & maximos pati cru-
 ciatus.

Infinitæ huius bonitatis arcanum adhuc
 plus detegit modus dandi, quia, tametsi
 postquam homo fieri decreuit, perfecti viri
 corpus, quale fuit Adami, accipere po-
 tuisset, haud tamen ita fecit, sed *ex muliere*
 nasci voluit. 1. Vt ab infantia pro nobis
 pateretur, vnde ipse ait: *Pauper sum ego, &*
in laboribus à iuuentute mea, adeò amauit la-
 bores, cum eos nos, quantum possumus fu-
 giamus. 2. Vt diuina bonitas tantò se-
 I 3 amplius

VII.
 CVR B
 VIRGINE
 NASCI VO-
 LVERIT
 DEVS?
 Gal. 4. 4.

Psal. 87.

16.

amplius diffunderet in vtrumque humanæ
 naturæ sexum, si *virum* ad infinitam filij
 Dei naturalis, *feminam* verò ad matris ipsi-
 us Dei dignitatem euexisset; quæ, vt S. Tho-
 mas docet, est quodammodo etiam infinita.
 Ex qua re ostenditur, Deum omnibus bene-
 facere: Nam *in Christo IESV*, non est In-
 deus, neque Græcus; non est seruus, neque
 liber; non est masculus, neque femina. 3. Vt
 perditio nostra, quæ à viro & femina cœ-
 pit, ab alio viro & femina restauraretur; à
 viro quidem præcipuè tamquam à capite,
 & vnico Mediatore nostro, patreque futuri
 sæculi; sed ab eius Matre, tamquã coadiutric-
 ce in opere Redemptionis. Nam Christus
 est Beatissimæ Virginis sanguis & caro. Hinc
 ab initio dictum est: *Inimicitias ponam inter*
te, & mulierem, & semen tuum, & semen il-
lius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiabe-
ris calcaneo eius. 4. Vt duplici modo mise-
 ricordiam Dei cognosceremus, atque in ea
 speraremus, diuino scilicet, & humano: di-
 uino, in misericordiæ immensitate; hu-
 mano in muliere Matre. Sunt enim mu-
 lieres ad miserendum proniores, & à natu-
 ra magis inclinatæ. Vidit autem SS. Tri-
 pitas ab æterno innumeras feminas, multas
 utique

S. Thom.

1. p. q. 25.

a. 6. ad 4.

Gal. 3. 28.

Gen 3. 15.

vtique præstantes, sed ex omnibus elegit illam, quæ erat Filio virtutum imitatione simillima, atq; salutis humanæ promouendæ sicutissima, ad quam in necessitatibus nostris ea confidentia recurreremus, quæ solemus ad matrem confugere. Est enim, illa *Mater misericordia, Aduocata nostra, & Refugium peccatorum*. Non quòd Christus solus non sufficiat, sed vt, si pusillanimes ad ipsum accedere timerent, vtpote non hominem solùm, & nostrum Aduocatum; sed Deum simul ac iustum Iudicem: ad Matrem ipsius confidentiùs accederent, ad quam Iudicis munus non pertinet, sed tantùm *Aduocate*; illa autem, *Misericordiæ, pietatisq; Mater*, pro omnibus intercederet. Ex quo ipso patet, quantopere Deus nostram salutem eiusq; consequendæ fiduciam desideret. Nam in æterno suo consilio hanc Virginem in Matrem suam elegit, vt simul esset excellentissimum misericordiæ vas, in quo magnalia, quæ talis Filij matrem decerent, reponerentur. Qua de causa *electa vt sol* vocatur; superat enim præstantia omnes alios electos. *Elegit vos*, ait Apostolus, *in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti & immaculati in con-*

S Thom.

3. p. q. 7.

8. 19.

Cant. 6. 9.

Eph. 1. 4.

S Hiero-
nym.
serm. de
Assumpt

Dan 9.24,

Hebr. 1. 4.

*speculu eius in charitate. Quia teste S. Hiero-
nymo, gratia omnes, qua diuisim alijs San-
ctis sunt data, Maria fuerunt simul plenissima
concesse, eò quòd ex ea nasciturus esset au-
ctor ipse gratiarum Christus, qui vt ipse
est Sanctus Sanctorum, voluit vt Mater sua
esset Sancta Sanctarum, hoc est, vt in omni
genere & gradu virtutum & gratiarum ex-
celleret, adeoque etiam in charitate proxi-
mi, quæ ex Dei charitate resultat, fuitque
tanta in ipso conceptionis momento, vt
Angelos, & ipsos Seraphinos superaret. Ita
enim erat digna Dei Mater, digna Angelo-
rum regina: tantò melior ipsis Angelis, san-
ctiorque effecta, quantò excellentius præ illis
(qui serui solum & ministri in domo eius
futuri erant) nomen erat acceptura, scilicet
Matris Dei. Ibi ergò cursum suum cœpit,
quò Angeli suum produxerant & absolue-
rant. Si ergo viuere incipiens iam tot ha-
buit gradus charitatis, misericordiæ, & cle-
mentia, quot in cælo Beati Angeli, eosque
semper auxit, immò duplicauit, & condu-
plicauit; quantam iam in cælo misericor-
diam possidebit?*

VIII. Nemo iam miretur, si Petrum tam gran-
 QVAM SIT dem peccatorem, tam inueteratum, & de-
 speratum